



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XXXI. Triptolemus, mirus Cereris alumnus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tatem, qui percipiunt, ij & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem institutum iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. Orat. 2. de laud. litt.

VIII. (k) Hæc satis de Sirenibus, si adjecerimus, à Mythologo perniciosas earum illecebras ac voces, etiam ad adultores transferri, qui eos, quibus assentantur, in profundissimum somnum inducunt, ut non videant, quid differat amicus ab adulatore; quoniam hujus suavior est auribus oratio, itaque fit, ut, dum nullus amicitiae, sinceritati, justitiae patet locus, auditores creduli gravibus involvantur malis.

IX. (l) Sed quid? propè oblitus fuisset dicere, quid sibi velit, quoddam Musæ è devictarum Sirenium pennis, coronas sibi texuerint. Nimirum denotatur, ad pravae voluptatis insidias superandas, nihil esse validius, quam animum procul ab ignavia habere, & ad litterarum studia strenuè applicare. Nam ubi mens ingenuis curis occupatur, & amore liberalium artium tenetur, facile spernit voluptates & generoso repellit fastu, quidquid molliùs blanditur: unde consequitur, ut domitiae cupiditates vires suas, velut alas amittant, & victori in præmium virtutis, ac etiam doctrinae cedant. De Sirenibus extat emblemata 115. Alciati: cui adijunge lemma: *Dum vocant, vorant.*

(k) Per Sire: es etiam adultores intelliguntur. (l) Musarum de Sirenibus via gloria ac corona quid significant.

SYMBOLUM XXXI.

Triptolemus, mirus Cereris alumnus.

s. *Metam.*

Ethicè.

1. Magna vis educationis in utramque partem.
2. Igniculi primi naturæ.
3. Laus agriculturæ.
4. Commendatio laboris.
5. Beneficentia colenda.

Fuit hic *Celei*, regis Eleusini (est Eleusis civitas Attica, non longè Athenis sita) filius. Ad hunc regem fortè Ceres, dum raptam à Plutone filiam undique quærit, diverterat, ab eoque liberalissimè fuit habitata. Dea remuneratura humanitatem hospitij, omne genus agriculturæ

turæ ostendit Celeo: non enim nisi glandibus ea tempestate vescebantur; vel quia homines ignari terræ colendæ, aliam frugem non noverant; vel quia semina deerant, & satio cessârat. Testis Virgilius. 1. Georg.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit: cum in glandes, alimentaque sacra
Deficerent silvæ, & victum Dodona negaret.

Et Ovidius 5. Metam.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terræ.

Celeus quod à Cerere didicerat, cum nullo hominum communicavit; sive quia veteri vivendi mori assuetus erat; sive quia laborem abhorrebat. Is subinde filium genuit *Triptoleum*, nomine, qui primus id beneficium, in omnium usum mortalium contulit. Admodum infans erat & in cunis vagiebat tum, quando Ceres ad regiam parentis devenerat. Parvuli amore capta dea, cum illum immortalē vellet, nutricis habitum & officium simulavit, & nihil earum omisit rerum, quæ ad eam curam pertinebant. Interdiu lacte divino rigabat alumnus; noctu, ipsum clam obruebat igne, & veluti sub cinere fovebat, ut exsudatis mortalitatis humoribus, cœlestis naturæ igniculis imbueretur. Nec diu post factum est, ut puer, præter reliquorum mortalium naturam ac morem, teneram ætatem, incremento staturæ longè superaret. Cum hoc pater miraretur, nocturno tempore observavit nutricem; cumque Ceres puerum igne perfunderet, ille expavescens, & filio metuens, exclamavit. Ea sollicitudo perniciem attulit ipsi; indignata quippe Dea arcanum suum mortali oculo deprehensum, momento Celeum exanimavit; Triptoleum verò filium divino munere affecit, artem serendi docuit, & ad fruges propagandas, currum alatis draconibus junctum, ei donavit, quò vectus ipse per sublimia, quaquaversus in orbe semina sparsit, usumque frumentorum demonstravit.

Ethica.

I. (a) Rectæ, seu bonæ educationis officia, hac exprimentur fabulâ. Nam quod Triptolemus lacte divino nutritus sit, indicatur, quanti referat, quò succo primitus imbuatur puer. Etenim cum lacte, primo nutrimento, indoles & mores suguntur. Si hoc sincerum sit, servabit humorem & odorem virtutis talis animula; sin' lacti venenum

ita-

(a) *Magna vis educationis in utramque partem.*

iracundæ, avaræ, libidinosa, nutriculæ sit mixtum; virus hoc totum imbibet alumnus. *Lamia*, ut Threnorum 4. legimus, *nudaverunt mammam suam, lactaverunt catulos suos.* Quid enim aliud sunt istæ lamia, speciem partim muliebrem, partim ferinam referentes, quàm impotentes mulierculæ, tigridem potiùs, ursam, lupam, & similes bestias, quàm hominem moribus præferentes. Ab his mammis qualem rorem? Et ex isto quales exspectes catulos? Tartari ac Scythæ infantibus suis lac præbere caninum aut equinum dicuntur, ut deinde feroces & pugnaces evadant. Lamia ab antiquis mulieres esse putabantur, sive veriùs dæmonum quædam phantasmata, quæ formosarum mulierum specie assumpta, pueros pariter ac juvenes blanditijs allectos devorabant. Alij aliter de ijs scribunt, nobis ad propositum sufficit, per Lamias intelligi improbas & sceleratas nutrices, quæ cum viroso lacte malam pestem in teneros fetus transfundunt. Sic Heliogabalus Imp. Græcæ meretricis alumnus ab ea suam spurcitiem & obscænitatem hausit. Rhodiginus. Sic Tiberius Nero, magnus potator, ideo *Biberus Mero* vocatus, quia nutricem habuit vinolentam. Sic Agrippina Neronis mater, quòd in omnes libidines esset effusa, filium orbi dedit libidinis & crudelitatis monstrum. Cornel. Tacit. Quin & Salomon trecentarum uxorum maritus, & septuaginta pellicum concubinus, matrem habuit Betsabee adulteram. Diogenes videns adolescentulum ex temulentia desipere, dixit. Ebrius te seminavit pater. Pari ratione dixeris tali: ebria te lactavit nutrix. Propterea mater Samsonis jubetur ab Angelo, vinum & siceram non bibere. Et S. Augustinus in lib. Confessionum fatetur, se cum lacte matris, Dei cultum & venerationem hausisse. Antoninus Caracalla Imp. quanquam sævissimus, magnum tamen Christianis negotium non fecerit. Causam assignat Baronius ad annum 217. quòd lac nutricis Christianæ suxerit.

II. (b) Deinde in Triptolemo observandum, infantem ipsum igne perfusum à Cerere fuisse. Parùm enim valet lacteus matris humor, seu bonus corpori tenello succus à natura infusus, nisi ignea vis ingenij, tanquam eos, accedat. Inter prodigia & læta omnia ignis habetur capiti circumfusus, quod Ascanio Æneæ filio obrigit. 4. Æneid.

Ecce levis summo de vertice visus Juli

Fundere lumen apex, tactùque innoxia molli

Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Regnum videlicet igneus ille splendor adolescenti portendebat. De Honorio Claudianus id confirmat. X Appa-

(b) Multùm interest, quales igniculi primi natura.

Apparet, quid signa ferant. Ventura potestas
 Claruit Alcanio, subita cum luce comarum
 Innocuus flagraret apex, Phrygióque volutus
 Vertice, fatalis redimiret tempora candor.

De hac animi flammula Petrarcha Dial. 41. Sic inquit, habet omnes qui sunt, & qui erunt, aut fuerunt virtutibus clari, non posse unum ingenium accendere, nisi aliqua intus in animo scintilla sint, quae Praeceptoris spiritu excitata & adjuncta generosum disciplinae fomitem arripiant; alioquin algidum in cinerem nequicquam flabis. Natura parvos nobis igniculos dedit, ait Tullius, qui corruptelam malae consuetudinis extinguuntur. Graviter M. Antonius Muretus lib. 2. Ethic. Ad virtutem nos natura gignit, doctrina excitat, consuetudo perducit. Non enim est dubium, quin semina & igniculi quidam nobis insint à natura, usque eò, ut naturali quadam inclinatione alium ad alias virtutes propensorem esse videamus. Atque hac de re loquitur Aristoteles lib. 6. Ethic. & illa *principia*, virtutes naturales, aut virtutes inchoatas vocat. Sed semina illa facile eliduntur, nisi excolantur; igniculi illi facile extinguuntur, nisi foveantur. Conqueritur Tullius. 3. Tuscul. Sunt ingenij nostris, inquit, semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem, susceptique sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur. Adsonat Plato lib. 2. de legib. Assuecat ergo pueritia dolore ac voluptate rectè moveri, ut à principio usque ad extremum vitae rectè oderit, quae odisse oportet, & amet, quae amanda sunt. Ergo prima aetas riguo lactis imbre ad scientiam, & igneo mentis vigore ad probitatem est educenda. Id quod religiosus Scriptor hanc adducens fabulam monuit: Immortalitas, ait, nobis curanda est, seu lacte sit opus, seu igne: sive animus eruditione nutriendus sive exercendus pietate. Drexel in Trismeg. lib. 3. c. 1. Rursus per has animarum scintillas intelligas, nihil quantumvis parvum in educatione contemnendum. Quid scintilla tenerius? uno flatu dispelles, quid validius flammam è scintilla nata? arserunt hac integræ urbes & ingentia nemora, nam

Neglecta solent incendia sumere vires.

Id de pueritia cogita, cujus primae scintillae in magnas vitiorum flammam erumpent, nisi principijs obstetur.

III. (c) Triptolemus artem colendae terrae à Cerere edoctus est, salubri documento, quanti facienda agricolatio, quae divinam habet ori-

(c) *Laus agricultura.*

ginem;

riginem; quaque ratione juventus sit ad laborem affuefacienda, præsertim fructuosum & innocentem, qualis est agricultura, de qua Cicero. 1. Offic. Omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agriculturâ melius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius, nihil publicæ rei utilius. Siracides monet cap. 7. *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo.* Est hæc commendatio rei rusticæ 1. Labor excludit otium, malorum omnium fontem & originem. 2. Labor est hominis proprium, nam ad eum nascitur, ut avis ad volatum. Job. 5. 3. Labor vegetat ac roborat corpus simul & animum. 4. Agricolæ vita ad innocentiam, patientiam, fortitudinem exercet. Optimi quondam milites ab aratro vocabantur. De agriculturæ felicitate Maro. 2. Georg.

O fortunatos nimium, sua si bona norint
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Quo loco plures vitæ rusticæ laudes enumerat Poëta. Prima est *quies* hujus vitæ, secunda à bello, tumultibus, negotijs: perpetua pace ac tranquillitate abundans. Secunda rusticorum *simplicitas*, ab omni fraude & dolo aliena. Tertia, *abundantia*. Quarta, *jucunditas*. Quinta, *frugalitas*. Sexta, virtus & religio, unde Astræa seu Justitia seu Virtus, terras exosa, ultimò omnium ad rusticos divertit, & ab his ad cœlum recessit, Poëta canente

----- extrema per illos

Justitia excedens terris, vestigia fixit.

IV. (d) Notandum, Triptoleum curru sublimem, longè supra terras evehctum fuisse. Est enim labor dux ad virtutem, cujus ut cœlestis est origo, sic per illam est ad cœlum via. Possis huc applicare illam in Zodiaco sidereo rutilantem virginem, quæ manu sinistra *spicam* tenet, ut intelligas laborem (præsertim terram colentium, & agros aratro exercentium) esse incontinentiæ antidotum, & malarum cupiditatum remedium. Inter præscos anachoretas vulgatissimo ferebatur adagio: laborantem ab uno solo dæmone vellicari; desidem & cessatorem à plurimis exagitari. Quid, quòd hac per aërem vecturâ significetur, ita curandum *solum*, & rei augendæ, etiam per honestos labores studium, ut animus tamen sudore corporis ac pulvere non opprimatur, sed è fatigatis quoque membris, liber ad cœlum subvolet. Sic enim, ait D. Gregorius, curanda sunt temporalia, ut non amittamus æterna. Tal-

X 2

pæ

(d) *Commendatio laboris.*

pæ se infodiunt terræ, quia carent oculis: homines lucris præsentibus dediti, nihil vident earum rerum, quæ ad futuram felicitatem pertinent.

V. (e) Dignus immortalitate fuit Triptolemus: nam beneficium, quod à Dijs accepit, in alios sparsit, tantò quidem ampliore munere, quantò in plures illud diffudit. Non enim nobis solis, ut Tullius ait, sed patriæ nati sumus. Et hoc est boni ac sapientis Principis, ad profligandum otium & inopiam, bonas artes, præsertim agriculturam, inter subditos propagare. Veterum Sapientum est profatum, liberalitate & beneficentiâ homines proximè ad Deos accedere, id quod Triptolemus fecit. Est enim divinitatis proprium benefacere. Cicero lib. 2. de natur. Deor. Ipse, inquit, Jupiter, id est, *juvans pater*, & à Majoribus nostris *Optimus Maximus* dicitur; & quidem antè optimus, quàm maximus, quia majus est, certèque gratius, prodesse omnibus, quàm magnas opes habere. Hinc Varroni *dives* dictus est, quasi *divus*, quod perinde ac Deus circumfluat maximis copijs, & alienam miseriam ac inopiam, nihil ipse interim incommodi accipiens, levare tam velit, quàm possit. Augustus sanè Imperator, postquam imperium erat adeptus, nihil se magis sibi gratulari dixit, quàm quòd gradum illum jam conscendisset, unde universis benefaciendi facultas præstaretur; cùm illud amplitudinis certum sit testimonium, omnes beneficentiâ promereri. Dio lib. 5. Hinc in proverbium abiit, *homo homini Deus*. Antiquitas enim nihil aliud existimabat esse *Deum*, quàm prodesse mortalibus. Vnde frugum, vini, legum autores, & quicumque ad vitæ commoditatem aliquid attulisset, pro Dijs habiti; quam ob causam etiam Sol, Luna, Aqua, Terra Numinibus accensita sunt, quòd plurimum ad vitam conducere viderentur: quòdque horum commoditate mortales maiorem in modum delectarentur.

Chiliastes.

(e) *Beneficentia colonæ.*



SYM-